





*23.*  
G. 5. num. 7.

1767, 27.

7

R E S,  
QVAE FUNCTIONEM RECIPIVNT,  
D E F I N I T

E T

*P. 96.*  
ORATIONEM SOLLEMNEM

MVNERIS PROFESSORIS AVSPICANDI  
CAVSSA

DIE XXX. SEPTEMBRIS MDCCCLXVII.

HORA IX.

IN AUDITORIO PETRINO  
RECITANDAM

I N D I C I T

AVGVSTVS FRIDERICVS SCHOTT

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR,  
ANTIQUITATVM IVRIS PROFESSOR PVBLICVS SOCIETATIS  
LATINAE IENENSIS COLLEGA HONORARIVS



R E S  
QVAE PVNOTIONEM RESPIVIT

D E T I N I T

ORATIONEM SOLLENNIEM

ALMAE MATRI UNIVERSITATIS AVSTRIACAE  
VIENNAE

DIE XXII SEPTEBRIS MDCCCXXVII

IN AULA

IN AUSTRIAE IMPERII

UNIVERSITATE

INDICT

AVGVSTVS RNDRICH'S SEHOTT


PHILOSOPHUS ET VICE-VICICVS DOCTOR  
MAGISTRVS VNIERSITATIS AVSTRIACAE VIENNAE  
UNIVERSITATIS AVSTRIACAE VIENNAE





Contigit nuper singulari Indulgentissimi XAVERII, Principis regii, Serenissimi Electoris nostri Tutoris Saxoniaeque Administratoris sapientissimi, gratia, ut prouincia antiquitates iuris extra ordinem docendi, post consultissimi Conradi, viri harum rerum peritissimi, in academiam Marpurgensem discesum vacua, Optimi Principis iudicio mihi demandaretur. Postulat igitur officii mei ratio, vt non moris maiorum seruandi causa, sed ex animo publicas ob tantum beneficium Patri Patriae agam gratias, quae quomodo a me peragenda sint, his literis auspicii gratia propositis significari debet. Quod antequam fiat, de vera rerum, quae functionem recipiunt, vulgo *fungibilium*, natura praefari placet, cui disputationi aliam commentationem, de *usufructu vestimentorum*, quam superiori anno doctus quidam iuuenis me duce speciminis causa publice defendit, occasionem dedisse profiteor. Nam cum intellexissem, virorum doctorum super hoc argumento controuersias

A 2.



non aliter sopiri posse, quam rerum fungibilium natura penitus perspecta, opus fuit in harum rerum indolem paullo adcuratius inquirere, quam antea quidem a me factum fuerat. Tum vero animaduerti, communem de his rebus doctrinam, de cuius veritate iam antea addubitaueram, haud idoneis niti rationibus. Cum autem ibi non nisi pauca verba de hac re adiici possent, statim cepi consilium singulari libello meum super rerum fungibilium notione iudicium paullo vberius proponendi. Hoc igitur iam exequar, hac quidem vsus ratione, vt, postquam communes, quae de rebus fungibilibus excogitatae sunt, descriptiones legibus et analogiae iuris haud conuenire demonstraerero, quid mihi rerum fungibilium appellatione venire videatur, et significem, et veterum auctoritate confirmem.

Vnde vero nomen rerum *fungibilium*? Fateor, in veterum libris illud non deprehendi, sed recentioribus ICtis a glossatorum aetate esse tribuendum. Nempe res, quas veteres *functionem recipere* scribunt, *fungibiles* nostri vocant. A *functione* igitur dictae sunt res *fungibiles*. Primarius locus, vbi rerum, quae functionem recipiunt, mentio fit, est PAVLLI, qui, quae res in mutuum veniant, descripturus ait: <sup>a)</sup> *Mutui datio consistit in his rebus, quae pondere, numero, mensura consistunt, quoniam earum datione possumus in creditum ire: quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem, quam specie.* Seruo receptam huius loci lectionem, et mitto doctorum virorum, SALMASII <sup>b)</sup>, GOTHOFREDI <sup>c)</sup>, et BYNCKERSHOE-

CKII

a) PAVLLVS in *Cap. II. §. I. π. de reb. cred.*

b) SALMASIVS in *Praefat. lib. de modo vsur.* et in *Diatr. mutuum non esse alienationem* sub Alexii a Massalia nomine edita p. 82-84. nec non in *Miscell. Defens. de obseruat. et emend. ad Ins. Attic. et Rom. pert.* Cap. VI. voci *functionem* substituit *ro*

*suffectionem*, quia putat *functione* indicari ipsam *solutionem*, adeoque in epte dici, res in suo genere *functionem*, id est ex illius sententia, *solutionem* recipere per *solutionem*. Tu vero consule *Gothofredum*, qui satis probauit, *functionem* hic poni pro *permutatione*.

c) *Iac. GOTHOFREDVS* in *Diff.*

CKII<sup>d</sup>) emendationes; nihil enim ea facilius intellectu, modo in vltima propositione vocem *magis* subaudias, quam non opus est ipsis verbis inferere, cum apud veteres ea quandoque supremi soleat. Sunt igitur, PAVLLO auctore, quaedam res, quae *functionem recipiunt per solutionem*. Quid autem est *functio*? quid *functionem recipere*? quid *functionem recipere per solutionem*? Haec nunc videamus. *Functionis* vocabulum cum a voce *fungi* originem ducat, eiusdem quoque significationis sit, necesse est. *Fungi* vero dicimus et de personis et de rebus, quae vicem aliquam sustinent et officium praestant. Sic v. c. munere suo *fungitur* is, qui partes sibi impositas explet ac suum exequitur officium. VLPPIANVS<sup>e</sup>) et PAVLLVS<sup>f</sup>) *dotem functionem* appellant, quae data est marito ad ferenda matrimonii onera, in quo versatur finis dotis. Atque PAPINIANVS<sup>g</sup>) *fideicommissum munere Falcidiae fungi* dicit, quod eius detractio-

A 3

nem

Diff. de functione et aequalitate in mutuo ad L. 2. *π. de reb. cred.* legit: *per solutionem aequam specie*. At hoc mihi non probatur, partim quia paulo durius dictum contra communem loquendi rationem, partim quia non commodior inde elicitur sensus, quam si, omnibus verbis saluis relictis, vocem *magis* legendo suppleas.

d) BYNKERSHOECKIUS *Observat. Lib. I. cap. X.* et vocem quia mutat in quae, et verba: *In genere suo functionem recipiunt per solutionem*, inuerso ordine legi iubet: *In genere suo solutionem recipiunt per functionem*. Sed quid noui effecit? Nihil profecto. Perinde quippe est, siue quia retineas, siue quae reponas; vtrumque offendit, rationis rationem

hic reddi. Nec video, quid intersit dicere, res in genere suo permutari posse in solutione, (*functio* enim hic est permutatio) an, res in genere suo solui posse permutatione? Quid igitur opus correctione, quae pristinum sensum plane eundem relinquit?

e) VLPPIANVS *Fragm. Tit. VII. §. II.* *Dotis*, inquit, *quae semel functa est, amplius fungi non potest, nisi aliud sit matrimonium*.

f) PAVLLVS *Recept. Sentent. Tit. I. §. 6.* *Functio*, ait, *dotis pacto mutari non potest*.

g) PAPINIANVS in *Cap. CXXVII. π. de Legat. II.*



nem patitur. Plura exempla dabunt Lexicographi inque his BRISSONIVS, <sup>h)</sup> praeterque eos inprimis GOTHOFREDVS l. c. quorum serinia nolo expilare. Unde adparet, *functionem* esse officii cuiusdam adimplementum et iis rebus tribui, quae aliquid implent et aliquem locum subeunt. Quapropter cum debitor, qui, quam debet, pecuniam soluit, suas partes expleat, interdum *functio* pro ipsa *solutione* improprie quidem, nempe consequens pro antecedente, accipi solet, vt in tributorum appellatione sub principibus Romanis factum esse nouimus, quae *functionum* nomine in vtroque Codice, cum Theodosiano, tum Iustiniano, saepius occurrunt. Quae vero *functionis* significatio hoc loco sit intelligenda, propria an impropria, lis est. Sunt, qui SALMASIVM l. c. secuti defendunt, *functionem* hic pro ipsa *solutione* multui positam esse. Hoc si probaretur quis, quaeso, sensus foret PAVLLI: quia in genere suo *solutionem* (cum hac enim voce commutanda esset *functio*) recipiunt per *solutionem*. Quis explicet haec, *solutionem recipere per solutionem*? Quae cum inepta esse, ipse intelligeret SALMASIVS, maluit contra omnium codicum auctoritatem *functionis* vocabulum pro adulterino habere et *suffectionem* substituere, quam suam opinionem, *functione* semper indicari *solutionem*, deferere. Dixit de hac audacia satis GOTHOFREDVS. Tua hercle, SALMASI, opera non indigebat ius ciuile, ad quod inuita plane Themide accessisti, qui principatu, quem in graecis latinisque literis tenebas, contentus esse nolles. Si *suffectionem* et permutationem rerum aliquam a PAVLLO significari putas, quod recte existimas, cur *functionis* vocabulum loco moues, quod sensu sibi proprio *suffectionem* hic exprimere, GOTHOFREDVS l. c. GOED-  
DAEVS,

h) BRISSONIVS de Verbl. Significat. f. v. *functio* et *fungi*.





DAEVS, <sup>i)</sup> ROBERTVS, <sup>k)</sup> ZVICHEMVS, <sup>l)</sup> DVARENVS, <sup>m)</sup> alique et obseruarunt, et demonstrarunt. Largior, quod inprimis ille vrget, vocem *fungi*, si sola ponatur, non significare *alterius vicem explere*, aut *permutationem* indicare, sed tantum, si cum iis adiunctis enuntietur, quae talem ei addunt notionem. Nonne autem hoc loco a PAVLLO cum iis coniungitur verbis, quae hanc significationem necessariam reddunt? *Fungi* namque et *functio* de iis personis et rebus dici, quae officium aliquod praestant, iam diximus. Mutui vero eam esse naturam, vt non eadem res in specie, sed tantundem reddi debeat, adcoque res, quae datae sunt, cum aliis eiusdem generis reddendo permutedentur, nemo ignorat. Cur igitur PAVLLVS affirmet, eas solas res in mutuum venire posse, quae magis in genere suo functionem recipiunt per solutionem, quam in specie, quid, quaeso, aliud voluit indicare, nisi hoc, has res, dum reddantur, solui posse non in specie, hoc est, non easdem species, quas debitor acceperat a creditore, sed in genere suo, nempe alias species eiusdem generis, ac antea datae fuerant, quia eae ita sint comparatae, vt omnes eiusdem generis species sibi possint substitui ac inter se permutari, et vna alterius vice *fungi*, cum tantam hae res habeant similitudinem, vt nihil interlit, has an illas accipiat creditor, eique adeo inuito aliud pro alio solui possit. Ergo ex verborum coniunctione tuto colligitur, *functionem* hic dici de permutatione et mutua substitutione earum rerum, quae etiam tamquam species sibi simillimae sunt, in solutione vel inuito creditore permixta.

Ita

i) GOEDDAEVS in *Comment. ad Tit. Pand. de verb. signif. l. 4. no. 25. seq.*

k) ROBERTVS *Sentent. Iur. Lib. III. cap. XIV.*

l) ZVICHEMVS in *Praelect. ad Tit. Pand. de reb. cred. l. 2. n. 55.*

m) DVARENVS *Disput. Annivers. Lib. I. cap. XIV.*



Ita vero certum est, vnde quaedam res *functionem recipere*, vel, vt nostri amant loqui, *fungibiles* dicantur. Nempe quando haec est illarum indoles, vt maximam habeant similitudinem, et quod ad vsum, quem praestant, iisdem plane, nec diuersis, absque vilo personae vtentis, quaecunque ea sit, discrimine, gaudeant affectionibus, tum quidem in solutione aliae aliarum vice fungi possint.

At noli credere, ita de notione ac definitione harum rerum iam constare. Nam si ais, eas res esse *fungibiles*, quae in solutione permutari possunt, nominis tantum facis grammaticam descriptionem, non, quod in definiendo inprimis spectandum est, notam constituis, quae naturale earum rerum ab aliis rebus discrimen ita designet, vt eas statim cognoscere liceat. Dicis, harum caracterem positum esse in ea specierum similitudine, quae efficiat, vt non intersit creditoris, aliam pro alia solui. At ne sic quidem doces, vnde res fungibiles a reliquis dignoscendae sint. Desidero certum et constans signum, ex quo adpareat, quae res in vsu praestando adeo conueniant et sibi similes sint, vt creditore inuito sibi possint substitui. Ergo alius repetenda est notio.

Iam vero audio plerosque (est enim communis opinio) mihi adclamantes: An tu ignoras, quod omnes sciunt, res fungibiles esse eas, quae numero, pondere et mensura constant? quid facilius intellectu hac descriptione? Equidem mallem ignorare, quam meam cum ROTGERSIO<sup>n)</sup> profiteri admirationem, qui fieri potuerit, vt tot doctissimi et acuti iudicii viri has res a modo eas in commercium deducendi definire non dubitauerint, haud memores regulae, quae notiones rerum a notis naturam earum ingredientibus, non a circumstantiis externis et contingentibus, qualis est modus, quo veniunt in

n) ROTGERSIUS *de usufructu. Apodict. Demonstrat. Iur. Rom. Vol. vestimentorum, Cap. II. §. 4. 5. in I. Lib. II.*

❖   ❖   ❖   ❖

in commercium, arcessere iubet. Nam cum externa, quae rem afficiunt, sint plerumque mutationi obnoxia et pluribus etiam rerum generibus conueniant, non certam, sed vagam ea constituent notionem, necesse est. Quis non agrum, qui ad mensuram venditur, in rerum fungibilium numerum referat, cum audiuerit, res fungibiles esse, quae numero, pondere, et mensura constant? Attamen nihil absurdius foret, omnium iudicio, quam agros in rerum functionem recipientium classe ponere. Haec igitur definitio, quia notiones rerum magis confundit, quam separat et distinctas reddit, non ferri potest. Nec me mouet PAVLLI auctoritas, ad quam prouocare vulgo solent, propterea quod is l. c. dixerit, *mutui dationem consistere in his rebus, quae numero, pondere et mensura consistunt, et rationem reddiderit, quia haec res in genere suo functionem recipiunt per solutionem, quam in specie.* Quod ita interpretantur, quasi iureconsulti mens sit, omnes res esse fungibiles, quae numero, pondere et mensura consistant, hasque res omnes mutuo dari posse. Haec autem explicatio, vereor, ne iuris analogiae plane repugnet. Ita profecto sequeretur, etiam agrorum mutuum esse, quod tamen nemo primas saltem iuris lineas edoctus dixerit. Noluit, si me audis, PAVLLVS res fungibiles, quomodo ab aliis differant, describere, sed declarare, quae species rerum in mutuo esse queant, nempe nec omnes fungibiles, (nam in eo etiam errorem deprehendisse mihi videor, quod existiment, mutui contractum ad omnes res fungibiles pertinere) nec omnes, quae pondere, numero et mensura constant, sed ex numero functionem recipientium eae tantum, quarum commercium ad numerum, pondus et mensuram fieri solet, quia haec solae quantitate aestimantur, quae in primis spectantur in mutuo. Vnde adparet, peruersam huius loci interpretationem causam fuisse plerisque, cur res fungibiles eas esse dixerint, quae numero, pondere, et mensura constant.



Eadem argumentandi ratio nonnullos eo adduxit, ut sibi persuaserint, rerum fungibilium nomine res incorporales intelligi, quae quantitates a veteribus vocantur. Sunt in hac haeresi SCHILTERVS °) atque VOETIVS. P) Cum enim animaduertissent, eas res fungibiles, in quibus mutuum esse potest, in ipsa mutui datione quantitate constare et aestimari, ipsas has res *quantitates* appellarunt. Male profecto. Quis credat, pecuniam numeratam, aut vinum, quae duo fungibiles res sunt et in mutuum veniunt, esse res incorporales? Mihi certe non videtur. Nam pecuniam numeratam video et palpo, vinumque bibo. Remne vero, quae corpore caret, videre, manibus contractare, aut degustare vnquam licuit? Melius CVIACIVS q) ita: *Quantitatis, inquit, nomine intelliguntur ea, quae pondere, numero et mensura constant, quibus opponi solent corpora, res, species, iura. — Sunt quidem illa corpore praedita, sed nos iis ita fungimur, ut non tam corpus eorum spectemus, quam quantitatem. Ceterae res corpore valent. — Quae pondere, numero, et mensura constant, quantitate valent potius, quam corpore.* Nempe omnes quidem res, quae mutuo dantur, secundum quantitatem in debitorem transferuntur, at non ipsae sunt quantitates. Vinum, quod mutuum do, non est quantitas, sed aestimatur quantitate. Pecunia numerata corpore gaudet, licet detur ad numerum. Res igitur fungibiles non sunt quantitates, sed in mutuo secundum quantitatem aestimantur et transferuntur. Caue autem, ne cum GOEDDAEO l. c. putes, omnes res esse fungibiles, quae in quantitate consistunt. Nam quantitates sunt, quae numero, pondere ac mensura constant. Has vero non esse notas, quibus res fungibiles fecernantur a reliquis, iam disputauimus.

Si

o) SCHILTERVS in *Exercit. ad Pand. IV. §. 20.*

p) VOETIVS in *Comment. ad Pand. Tit. de rer. diuis. §. 12.*

q) CVIACIVS in *Observat. Lib. XI. Cap. XXXVII.* Adde eundem in *Comment. in PAVLLI Lib. ad edictum. XXVIII. L. 2. de reb. cred.*

Si causam quaeris, cur tam vagae et minus adcuratae notiones rerum fungibilium a viris doctis propositae fuerint, hanc esse deprehendes, quod sibi firmiter persuaserint, solas eas esse fungibiles, quae in mutuum venire possunt. Quare non mirum est, eos a solo mutuo ad eandem naturam argumentum duxisse. Dixi alio loco, et iam repeto, neminem fore, qui mihi legum ac veterum Ictorum auctoritate demonstraturus sit, omnium rerum fungibilium esse mutuum. PAVLLVM sane id non velle, dum scribit, mutui dationem consistere in his rebus, quae numero, pondere, et mensura constant, quia in genere suo functionem recipiant per solutionem, paullo ante demonstraui. Non nego, nullam rem posse esse in mutuo, nisi fungibilem, sed quod omnes res fungibiles in mutuum veniant, ita, ut, quae sint fungibiles, ex natura mutui colligi debeat, nemo mihi persuadebit, nec villo iuris civilis loco confirmabitur.

Ad quid igitur respiciendum, ut cognoscatur, quae sit vera abque aliis rebus diuersa rerum fungibilium natura? Hoc nunc quaeramus. Quod si animum intendimus in ea negotia, in quibus rerum fungibilium ac non fungibilium diuersa ratio habetur, animaduertimus, esse tantum ea, quae circa usum rerum versantur. Sic mutuum in solis rebus fungibilibus, commodatum et locationem conductionem tantum in iis, quae functionem non recipiunt: in his verum usumfructum, in illis quasi usumfructum consistere aiunt. Ex quo intelligere mihi videor, modum diuersum, quo usum praestant hae res, esse fundamentum eas secernendi verum ac genuinum, eundemque naturam rerum fungibilium optime monstrare. Nempe aliae res ita sunt comparatae, ut solo usu non pereant, nisi longum tempus, aut casus fortuitus, aut culpa accedat, aliarum vero substantia solo usu delectur: illis vti, his abuti dicimur. Sunt porro ex negotiis, quarum finis est rerum usus, quaedam, quae desiderant, ut res post usum non amplius supersit adeoque solo usu delectur, ut mutuum, quaedam, quae vetant rem ad usum concessam consumere, ut com-



modatum. Hinc est, quod multi adcuratiorem definitionem rerum fungibilium desiderantes, vt ROTGERSIVS <sup>r)</sup>, affirmauerint, esse eas, quae post vsum desinant esse in rerum natura adeoque primo statim vsum consumantur, reliquas vero omnes res non fungibiles dixerunt. Sed ne hi quidem satis adcurate rem tetigisse videntur, etsi paullo propius ad veram harum rerum notionem accesserint. Nam cum etiam solam naturam mutui in animo haberent, et omnes res fungibiles ad illud referrent, non poterat aliter fieri, quin fallerent, haud cogitantes, earum rerum, quae solo vsum delentur, alias vsum statim consumi, alias vero tantum minui, quod postremum genus parum commode inter res vsum non peruenientes connumerarunt. Largior, res omnes paulatim minui et post tempus penitus consumi, quia alias aeterna esset rerum natura. At est tamen magnum discrimen rerum, quod ad vsum, in eo positum, vt aliae, quemadmodum iam dixi, solo vsum non pereant, nisi temporis diuturnitas, casus, aut culpa eas corrumpat, v. c. aedes, margaritae, gemmae, vasa, aliarum vero substantia solo vsum deleatur, sed ita, vt aut primus statim vsum eas extinguat, v. c. vinum quod quis bibit, aut, quamuis plus semel iis vtiliceat, tamen vsum semper afficiat earum substantiam eandemque per partes destruat absque longinquo tempore, casu, culpaue, quo iure referas vestimenta. Quod illustrat PLINIUS <sup>s)</sup> his exemplis: *Margaritae, gemmaeque ad heredem transeunt: vestes prorogant tempus, vnguenta illico expirant, ac suis moriuntur horis.* Eleganter hic diuersitas rerum in vsum praestando describitur. Nam res, quas solus vsum non corrumpit, *ad heredem transire* PLINIO dicuntur: quae solo quidem vsum, ad non primo statim, extinguuntur, *prorogant tempus*: quae vero ne post primum quidem vsum amplius supersunt, vt vnguenta, *illico expirant, ac suis moriuntur horis.* Cum igitur duae sint primariae classes rerum, si earum natura, quam in vsum habent, spectetur, constituendae, altera earum,

r) ROTGERSIVS lib. cit. Cap. I. §. 14. et Cap. II. §. 7.

s) PLINIUS *Hist. Nat.* Lib. XIII. Cap. III.




quae solo usu non delentur, etsi forte partes earum minus necessariae usu perdantur, altera earum, quae solo usu extinguuntur, in hoc quidem discrimine genuinam indolem ac differentiam rerum fungibilium ac non fungibilium deprehendisse mihi videor. Nempe prioris generis res, quae solo usu non pereunt, non fungibiles esse censeo, posterioris vero, quae solo usu suam substantiam amittunt, in numerum fungibilium omnes refero, ita tamen, ut postremum hoc genus duas diuersas species contineat, alteram earum, quibus primus statim usus interitum affert, ut vinum, fruges, quas solas usu *consumi* recte dixeris, alteram earum, quarum substantiae per quemlibet usum aliquid detrahitur, etsi non tota res vno usu pereat, quas usum *minuere* affirmo. Haec ne absque idonea ratione a me proposita aliquis putet, ex iuris civilis libris veterumque Ictorum auctoritate confirmanda sunt. Prouoco autem in primis ad morem veterum Ictorum, qui res fungibiles describentes res, *quae usu consumuntur vel minuuntur*, coniungunt. Sic enim habet inscriptio tituli Pandectarum *de usu fructu earum rerum, quae usu consumuntur, vel minuuntur*. Sic et VLPPIANVS: <sup>1)</sup> *Quo SCro inductum videtur, ut earum rerum, quae usu tolluntur, vel minuuntur, possit ususfructus legari*. Indicari hac descriptione res fungibiles, quis neget, cum sermo sit de SCro Augusti aetate, eleganter prabante GALVANO, <sup>2)</sup> confecto, quo ususfructus ad res fungibiles, in quibus antea nullus poterat esse ususfructus, extensus fuit, inuenta cautione quasi usufructuaria? Quodsi igitur concesseris, res fungibiles dici a veteribus eas, quae usu aut consumuntur siue tolluntur, aut minuuntur, non vnam, quae vulgaris est sententia, sed duplicem potius earundem speciem esse, te quoque credere oportet. Sic enim iubent veteres, qui res fungibiles, quae usu consumuntur, siue, quod idem est, tolluntur, ab altera specie harum rerum, quae usu tantum

B 3

tum

1) VLPPIANVS in Cap. I. π. de usufruct. ear. rer. quae usu consumuntur, vel min.

2) GALVANVS de usufructu Cap. III.



tum minuuntur, diligenter separarunt: ut adeo adpareat, non vnum esse genus rerum fungibilem, nimirum earum, quae, simulatque uti iis coeperimus, nullum amplius relinquunt usum, sed ad naturam rei fungibilis potius sufficere, ut pro parte pedetentim usu extinguatur, quamuis non semper tota simul ac primo statim usu pereat. Nec alia persuadebunt mihi NOODTIUS<sup>x)</sup> ac ROTGERSIVS<sup>y)</sup>, qui data opera defendunt, voce *minui*, in hac descriptione idem indicari, quod *tò consumi* et *toll* significet. Hoc enim et naturae verbi *minui* repugnat, et a ratione scribendi veterum ICorum plane alienum est. Quem, quaeso, fugit, *consumi* ac *toll* dici vbiuis de re, cuius tota perit substantia, *minui* vero nunquam aliter, nisi de parte tantum intereunte? Vnum saltem desidero veteris auctoris exemplum, qui vocabulo *minui* pro *consumere* ac *tollere* usus sit. Quis vero credat, veteres ICros, quos proprietatis sermonis studiosissimos fuisse nouimus, duobus vocabulis, sensu suo naturali valde diuersis, eandem rem exprimere voluisse? Nulla potius, sic spondeo, in Pandectis occurrit vox, quam frustra positam argues. Ergo ab hac parte adhuc stat mea sententia. Quid vero plura? Ipse IVSTINIANVS<sup>z)</sup> vel potius TRIBONIANVS, meam iuuat causam egregie, dum scribit, verum usumfructum in omnibus rebus constitui posse, exceptis iis, quae ipso usu consumuntur, inter quas exempli loco vinum, oleum, frumentum, vestimenta atque pecuniam numeratam refert. Sermo ipsi est, omnibus fatentibus, de rebus fungibilibus. Has quidem definit eas, quae ipso usu *consumuntur*, sed ex adiectis exemplis adparet, eum *tò consumi* non tantum accepisse de iis rebus, quarum substantia primo statim usu tota perit, sed hoc vocabulo etiam eas vna comprehendisse, quae usu tantum minuuntur. Nam rebus, quas usu consumi dicit, etiam vestimenta

x) NOODTIUS de usufruct. Lib. I. Cap. XXI. et Probabil. Iur. ciu. Cap. IV.

y) ROTGERSIVS Lib. cit. Cap. III. §. 16-19.

z) IVSTINIANVS §. II. Instit. de usufructu.



adnumerat, quae tamen post usum primum adhuc superesse, licet per partes solo usu dealeantur, hoc est, minuantur, nemo ignorat. Quid igitur clarius est, quam IUSTINIANVM duas species rerum fungibilium vno vocabulo breuitatis causa complexum esse, cum eas usu *consumi* dixerit, quod quidem saluo verborum sensu factum est, cum non infrequens sit, partim nomen ac descriptionem rerum a potiori specie ducere, (praecipuam enim speciem rerum fungibilium eas constituere, quae usu *consumuntur*, facile largior, quippe quarum plures omnino sunt, quam quae usu *minuuntur*) partim sub maiori comprehendi id, quod minus est: valet vero *ad consumere* omnino plus, quam *ad minuere*. Non video, quid regei possit. Quid itaque superest? Nihil nisi hoc, vt demonstremus, quomodo haec nostra rerum fungibilium definitio cum grammatica vocis origine conueniat. Dixi supra, functionem esse permutationem rerum in solutione propter earum similitudinem, et inde nomen rerum fungibilium, aut, vt veteres dixerunt, rerum quae functionem recipiunt, descendere. Cum autem iis tantum rebus, quae usu consumuntur, hoc proprium sit, vt propter maximam similitudinem, quae in usu earum eadem plane producit affectiones, possint in solutione vel inuito creditore permutari, modo in eodem genere, quantitate, et qualitate praesententur, vt, pecunia numerata, frumentum, vinum, omnesque res cibo inferuientes, non etiam rebus, quae usu minuuntur, quales sunt vestes, haec permutatio tribui possit, quia carent hac similitudine: forsan aliquis nos reprehendat, negans, res, quae usu minuuntur, in classe fungibilium esse, propterea quod causa, cur ita dictae sint, nempe functio, iis non conueniat. Sed illis quidem, qui ita rationes subdixerint, hoc dictum esse volo, notiones rerum cum grammatica nominum origine saepius non congruere. Interdum enim fit, vt nomen rei non ab eo, quod toti generi commune est, sed ab eo, quod primariae tantum speciei proprium deprehenditur,



ditur, imponatur. Sic v. c. nomen rerum Mancipi et nec Mancipi a Mancipationis ritu originem habere, nemo negauerit: at sunt tamen multae res a Romanis inter eas, quas nec Mancipi vocabant, relatae, in quarum alienatione Mancipatio aequae necessaria fuit, ac in rebus Mancipi ea exigeretur: vt adeo valde erraret, qui a sola Mancipatione in alienatione rerum vel omnino vel minus necessaria ad genus rerum Mancipi et nec Mancipi discrimen veramque earum naturam argumentaretur. Eandem nominis rationem in rebus, quae functionem recipere dicuntur, deprehendere licet. Acceperunt eae nomen non a toto genere, sed a potiori specie, nempe rerum, quae vsu consumuntur. Ex nomine vero quis naturam rei cognoscere valeat?

Haec vero omnia illius, quo mihi nunc defungendum est, officii commemorationi praemittere placuit. Hoc enim postulat, vt publica oratione et summum Indulgentissimi PRINCIPIS beneficium, quantum fieri potest, celebrem, piis vna pro Eiusdem pariter ac SERENISSIMI ELECTORIS Nostri salute votis nuncupatis, et noui muneris auspicia capiam legitima. Dictus est huic sollempnitati dies XXX. Septembris, quo *finis studii antiquitatum in iurisprudencia regundos* coram proponam. Quo die vt hora IX. ante meridiem audita loco consueto RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLUSTRISSIMI COMITES, PROCERES ACADEMIAE GRAVISSIMI, OMNES LITERARVM FAVTORES, COMMILITONES denique GENEROSISSIMI atque NOBILISSIMI sua praesentia me dignum iudicare beneuolasque mihi praebere velint aures, ea, qua decet, obseruantia rogo atque obsecro. P. P. Lipsiae, Dom. XV. p. Trin. A. O. R. CIOIOCCCLXVII.

L I P S I A E

EX OFFICINA IO. FRID. LANGENHEMII.

ULB Halle  
003 719 014

3




1078





*23*  
*G. S. num. 7.*

*1767, 27*



B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

E S,  
NEM RECIPIVNT,  
I N I T  
E T  
SOLLEMNEM  
SSORIS AVSPICANDI  
VSSA  
BRIS CIDI OCCLXVII.  
A IX.  
RIO PETRINO  
TANDAM  
DICIT  
DERICVS SCHOTT  
RIS VTRIVSQVE DOCTOR,  
OFESSOR PVBLICVS SOCIETATIS  
S COLLEGA HONORARIVS

KONFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE